

descendendo Auditorum ædificationem quærat, aut nulla prorsus facta criminum mentione virtutes, quantum possibile, extollat, commendet, omnique ratione acceptas reddat & sic ex asse officio satisfecisse sibi persvadeat, eum tamen se ipsum & auditores fallere maximamque partem laborem prorsus supervacaneum insumere, imo auditores in peccatis relinquare, certo credo.

§. VI.

Haud abs re fuerit, hic loci monere, omnes quidem vocum novitates serio fugiendas esse, quatenus S. sacræ adversantur & fidem evertunt, quatenus vero res S. S. comprehensas in se continent, adhibendas, retinendas & defendendas esse. Spectant huc vocabula *Heils*, *Ordnung*, *Buß*, *Ordnung*, quæ in se non nova, sed trita sunt & in scriptis Theologorum probatissimorum & ferme antiquissimorum reperiuntur, ejusmodi, quæ quidem non quoad literam, (quamquam postea aliud quoque demonstrabitur) quoad rem tamen in Bibliis extant. Quoties enim in iisdem de pœnitentia fidem antecedenti & subsequenti fide, imo de vera & Deo grata pietate fidem comitante agitur, toties *Ordo salutis & pœnitentiæ* commemoratur, imprimis vero locus *Act. 26 v. 18.* quasi omnium *caput* est præcipuumque trahit momentum. De cetero Præstantissimus *Dn. D. Balduinus* assertum nostrum suo adprobat calculo in institutione Ministrorum Verbi &c. ita dicens: *In docendo vitanda sunt νεωφωβία* s. novitates vocum, quam regulam Paulus habet *1. Tim. 6, 20.* ubi tamen, ut in exegesi diximus, non eam intelligit novitatem, quam rerum difficultas exigit, sæpe enim res in Scripturis contentæ docendi gratia aliis exprimuntur vocabulis in Ecclesia, sicut infantum baptismus vocatur *παιδοβαπτισμος*, unitas essentia Patris & Filii vocatur *ὁμοουσία*, Tres in una essentia

sentia